

subjungunt. Nunc autem *Pod. Meyeri* C. Koch ob caulem erectum, fere pedalem (Walp. Annal. bot. II. p. 959) a planta Raddeana separandum esse opinor.

328. **T R A G O P O G O N P U S I L L U S** M. Bieb.—Ledeb. Fl. ross. II. p. 789.
In Armenia, ad thermas Isti-su.

In speciminibus Raddeanis, prope Isti-su decerpatis, quae ceterum *Trag. pusillo* M. Bieb. omni ratione simillima, achaenia (ni fallor, nondum prorsus evoluta) breviter rostrata; e contrario in *Trag. pusilli* M. Bieb. specimine fructifero, a Radde anno 1865 prope Borshom lecto, achaenia longe rostrata, rostro achaenium aequante.

329. **S C O R Z O N E R A L A T I F O L I A** Dec. — Ledeb. Fl. ross. II. p. 797.
var. typica Trautv. herba tota pericliniisque magis minusve tomentosis.

In Armeniā, prope pagum Bitschenach et in tractu pascuo Kasikibaran.

var. glabrata Trautv. caule apice, foliis superioribus et periclinio glabratiss.

In Armenia, in tractu pascuo, Kasikibaran dicto.

Praeterea species haec variat foliis vel ovato-ellipticis, vel ovato—lanceolatis, vel denique oblongo—lanceolatis.

330. **L A C T U C A V I M I N E A** C. H. Schultz. — Ledeb. Fl. ross. II. p. 804.

var. leucocarpa Trautv. achaeniis albidis, rostratis?

In Armeniae tractu pascuo Kasikibaran.

Lactuca viminea C. H. Schultz typica, qualem e Tauria possideo, achaeniis atris et longe rostratis excellit. Planta Raddeana solummodo achaenia immatura, albida (nec brunnea nec nigra) et apicem versus quidem attenuata, tamen neutiquam manifeste rostrata, offert et ad *var. erostrem* Regel (Bull. de la Soc. des nat. de Mosc. 1867. № 3. p. 172) adpropinquat; proprius tamen ad